

TERTIA PARS

DE ELECTIONIBVS COM MVNIBVS.

Quæ in omni electione generatim conside-
randa sint præponere. Canon I.



In electionibus uniuersalibus rei propositæ qualitas ante omnia pernoscenda est. Deinde uerò Luna ab impedimen-
tis supra memoratis libera, in signo Zodiaci rei propositæ
conuenienti, & in aspectu planetæ rem illam significan-
tis: planeta quoq; qui rei propositæ dominatur, cæteros in
cœli figura planetas antecellere fortitudine sua cum primis
debet. Domus etiam, quæ naturam & significationem eius-
dem rei tenet, dominusq; eius, à maleficis, & earum radijs
prorsus sint immunes, optimumq; si beneficę affulserint.

Præterea in cuiusq; operis inceptione, Hali ascendens & eius dominum, Lunam
quoq; & dominum domus eius sub bonis habitudinibus, & situ constituere iubet,
meliorq; fiet electio, si Luna & ascendentis dominus, ascendens ipsum foelici radia-
tione illustrauerint. Lunam tamen inquit proprio corpore ascendentis angulum in
omni electione abhorrere. Mansio insuper Lunæ fortunata non parum in ea re
commodi afferre solet. Quæ autem sub quouis signo & planetarum cum Luna aspe-
ctu agere conueniat: uel quæ cuiq; planetæ significatio sit ex tabulis circa cano-
nem secundum & tertium secundæ partis huius, & ea quæ statim sequitur sanè di-
nosci poterit. Id postremò obseruari uolumus, ut in re cuius finis accelerandus sit,
mobilia signa: In his autem quæ firma & stabilia esse desiderantur, fixa signa potius
eligantur. At communia inter hæc mediocria censeantur. In particularibus autem
electionibus, parum ista omnia conferent, si genituræ siue natalis figuræ nulla ratio
habita fuerit: ex quo illud emergit, ut nonnunquam maleficis in electionibus uten-
dum sit astrologo, perinde ut uenenis medicus ad curationem nonnunquam utitur,
quanquam moderatè, quod totum Ptolemæus in centiloquio suo, uerbis octauo &
decimo satis admonuit.

Quid sub quolibet aspectu Lunæ ad planetas eligen-
dum, fugiendum ue sit, enarrare.
Canon II.

H iij Dies